

Disputatio Medica  
DE  
**PLEVRITIDE,**

*Ad quam*  
Diuinâ fauente gratiâ,  
*sub presidio*

**IOHANNIS SIGFRIDI**  
**MARTISVL. PHILOSOPHIAE ET**  
**MEDICINAE DOCTORIS AC PROFES.**  
in **ILLVSTRI IVLIA** Ordinarij, ac Collegij  
Medici pro tempore  
**DECANI**

**PROMOTORIS,**

*Pro consequendo gradu Doctoris in arte Medicâ*  
*publicè respondebis*

**CHRISTOPHORVS QVARTVS,**  
**GLOGOVIENSIS SILESIVS.**

*Habebitur disputatio 19. Iulij.*

HELMÆSTADII,  
**EXCVDEBAT IACOBVS LVCIVS.**

---

Anno M. DC. IX.



REVERENDA DIGNITATE ERV-  
DITIONE PIA, VIRTUTEQVE PRAE-  
STANTI VIRO,

Domino

M. CHRISTOPHORO  
QUARTO, AVGVSTANAE  
ECCLESIAE GLOGOV. SIL. PA-  
stori meritissimo.

*Domino parenti suo aeternum venerando*

*Hanc suam*

pro

**SVMMO IN ARTE MEDICA GRADV  
CONSEQVENDO DISPVTA-  
tiunculam**

Debitae Gratitude, & obseru-  
ergo

D. D. D.

Christophorus Quartus. F.  
Resp.



EXCVDIBAT JACOBVS TVCIVS  
Anno M. DC. IX.



## DE PLEVRITIDE.

### Thesis 1.

**P**leuritis, cum quod frequentissimè eueniat, tum quod multa, magna, & graua, uehementiaq; symptomata adiuncta habeat, adeò decantatus est morbus, vt non solum Hipp. l. de acut. morb. victu, ei primas attribuat, eoq; l. x. de victu instituendo, pro exemplo vtatur, & secundo eius curationem ordine proponat: Verùm etiam Galenus in lib. de constit. art. eum tanquã exemplum adsumit, quo demonstrat, qua ratione pars adfecta cognosci, & morbi curari debeant ac possint.

2. Nomen autè accepit pleuritis seu pleuresis apud Græcos ἀπὸ τῆς πλευρᾶς, id est, à pleurâ, quæ parte interiori, in cavitare thoracis, costas succingit & inuoluit. Latini à situ partis affectæ, quæ πλευρὸν Græcis, Latinis latus dicitur, lateralem morbum appellant, & vnâ cum parte læsâ adfectû ipsum proponunt ac subintelligunt: Alij costalem morbum nominant, sed minus propriè, quia costæ, quæ ossa sunt, in hoc morbo non læduntur aut afficiuntur.

3. Definitur à Galeno libro de constit. art. Med. & lib. 5. Cap. 9.  
de loc. adfect. Item 4. de caus. puls: alijsq; plurimis in locis: Cap. 3.  
nec non à Paulo, Alexandro, Actio, & alijs, qui Galenum imitati sunt, phlegmone seu inflammatio membranæ succingentis costas. Cap. 2. capit. prop.

4. Inflammationis vocabulum bifariam accipitur: aut, cum sanguis maiori copiâ, quàm par est, ad partem adfectam confluit, phlegmonemq; veram gignit: aut, cum is alijs humoribus permixtus, inflammationem producit. In priori significatione, eâq; latâ, vocabulum etiam Erysipelata comple- Gal. lib. 2. ad Glauc. c. 1. Lib. 2. de

Etitur : In posteriori verò, eâq; latissimâ, pro ratione variorum humorum sanguini permistorum & confluentium, variâ inflammationis species oriuntur, quæ varijs etiam nominibus, pro ratione abundantis humoris, denominantur. Et in hac significatione hoc loco vocabulo utimur.

5. Continetur in genere tumorum, qui præter naturam in corpore excitantur, & ad tria morborum genera reducitur; Est enim morbus in intemperie, in cõpositione & solutione continui. Necessariò igitur symptomata sequuntur & adsunt, tumor, rubor, & dolor : Tumore & rubore nunc in medio relictis, de dolore, qui partem adfectam vehementer adfligit & exercet hoc loco agitur.

6. Pars adfecta quæ sit, ex definitione datâ, intelligitur, nempe pleura, seu membrana succingens costas, & præter eam, muscoli, cum intercostales interiores, & exteriores, tum ij, qui pectori incumbunt, alijsq; thoracis partibus mouendis inseruiunt.

7. Differentiæ pleuritidis sumuntur à parte adfectâ, eiusque situ, & materiâ morbum procreante.

Gal. 4. loc.  
ad. c. 2.

8. Ratione partis adfectæ, nempe pleuræ, & musculorum thoracis, pleuritis duplex est *Vera* seu *legitima*, & *Notha* seu *Mendosa*.

9. *Vera* nominatur, in quâ membrana siue cingens costas, & cum eâ muscoli mesopleurij seu intercostales interni adficiuntur & inflammationem patiuntur.

10. Et huius duæ sunt species : alia *exquisita*, alia *non exquisita*.

11. *Exquisita* est, in qua membrana succingens costas, easque inuestiens inflammatione primariò & per se laborat seu adficitur.

12. *Pleuresis non exquisita* dicitur intercostalium musculorum interiorum inflammatio, in qua pleuram quoq; teste  
Gale-

Galeno, a  
incautate  
rò, cum n  
pore inter  
nexi hære  
13. Ne  
ternoru  
bri, dolor  
sed sine tu  
14. A  
bentium  
parte, do  
gatur, qu  
thoracis  
atur) ad  
15. M  
quatuor  
lanchoia  
humoris  
nes, alia b  
tencia.  
16. C  
rer natu  
cis testa  
aut priv  
bentis  
defluxu  
nim na  
qui vel  
aut agr  
pellere

Galeno, adfici necesse est, cum per eam materiae adfluxa pars, in cavitatem thoracis transmittatur: Sicuti rursus & è contrario, cum membrana succingens primario laborat aliquo tempore interiores musculi, qui eam attingunt, & cum eâ connexi hærent, læduntur & compatiuntur.

13. *Notha seu spuria pleurefis duplex habetur: Vna est externorum musculorum intercostalium inflammatio, cum feбри, dolore lateris, & respiratione cum parua, tum frequenti, sed sine tussi & sputo.*

14. *Altera notha pleurefis est musculorum thoraci incubentium inflammatio, in qua, pressa extrinsecus inflammata parte, dolor quidem percipitur, sed per sputum non expurgatur, quia nihil eius humoris, qui phlegmonem concitat, ad thoracis spacium peruenit: sed concoctus ( nisi prius discutiat ) ad cutim vsq; attestante Galeno, attollitur & inciditur.*

4. loc. adf. 2.

15. *Materia, a qua defumuntur pleuritidis differentia, sunt quatuor corporis humores, sanguis, bilis flava, pituita & melancholia: & flatus; a quibus etiam denominantur, unde pro humoris peccantis abundantia, alia vocatur pleuritis sanguinea, alia biliosa, alia pituitosa, alia melancholica, alia denique flautulenta.*

Gal. 4. de  
const. art. c.  
15. 16.

16. *Cum omnis inflammatio sit ex genere tumorum præter naturam, horum autem exortus ( ut Galenus multis in locis testatur ) ex defluxione alicuius humoris in partem aliquam, aut prius quapiam ex causa imbecillam, aut iam ægram, illabentis dependeat, pleuritis quoq; , quæ inflammatio est, ex defluxu humoris in partem imbecilliolem, exoritur. Solet enim natura a partibus validioribus excrementitios humores, qui vel quantitate, vel qualitate peccant, ad imbecilliolem aut ægram, quæ eam ob causam facile recipit & admittit, propellere & deponere.*

17. Fit autem in pleuresi inflammatio, cum sanguis ex venâ cauâ cordi adnatâ, per venam ἀζυγος h. e. sine pari, in tenues costarum venas impetu quodam influit, ex quibus ob copiam apertis, aut ruptis, aut exesis, effluit, & aut in membranam succingentem costas, aut musculos thoracis incidit & illabitur, ibiq; collectus & hærens putrescit & pleuresin producit.

18. Cæterum causæ pleuritidem efficientes duplices sunt. Aliæ internæ, aliæ externæ.

19. Internæ causæ sunt quatuor in corpore humores, nempe sanguis, bilis flaua, pituita, & melancholia, qui ex cibo & potu ad nutriendum corpus generantur: tum flatus in corporis partibus excitatus.

20. Rarò gignitur pleuresis ex sanguine temperato & ad nutritionem vtili, sed sæpè ex calidiori & tenuiori facto, sæpius ex bilioso, quem pleura, licet crassa & densa sit, ob debilitatem facilè recipit & admittit: rarius fit ex sanguine pituitoso; rarissimè ex melancholico, quod cum hi humores crassiores & frigidiores sint, non facilè aut citò attenuentur & accendantur, ac ad pleuram subito penetrare non possint.

21. A flatu inducitur pleuresis, flatulenta vocata, quando is inter membranas aut musculos thoracis sese ingerit, eosq; distendens, & à vicinis partibus, quibus adhærent, diuellens, dolorem concitat.

22. Causæ pleuritidis externæ quas *μεγαλαπνευμάς* Græci vocant, fluxionem mouentes, etsi multæ à Medicis enarrantur, duæ tamen sunt præcipuæ, nempe calor & frigus.

23. Calor hunc morbum procreat, colliquefaciendo & fundendo humores, vt ad pleuram aut musculos profluant. Frigus corpori occurrens, aut sanguinem immodicâ copiâ grauantem, aut qualitate molestum, ex orificijs venarum exprimit: aut poros cutis constringit, ne vapores acres & sub-

tilis

tiles ex corpore exhalare queant, quod cum fit, sanguis putrescit & incenditur.

24. His annumerantur victus ratio copiosum generans sanguinem, nimius calidorum aromatum usus, vinum largius adsumptum, aquæ frigidæ liberalior potus, ictus, casus, vociferatio, motus vehementior, & alia exercitia immodica, frictions duræ, balneæ, excandescencia, & plures aliæ, à quibus et si nulla curationis indicatio desumitur, Medico tamen rationali scitu sunt necessaria, ad promptiorem & exactiorem adfectus dignotionem. Gal. 3. m. m. c. 3.

25. Signa pleuritidis, ut & aliorum morborum, duplicia sunt *διαγνωστικά* quæ præsentem corporis constitutionem, morbiq; statum ostendunt & declarant: & *προγνωστικά* per quæ futura cognoscuntur & prædicuntur: *αναμνηστικά* quæ præterita commemorant, spontè in medio relinquimus.

26. Diagnostica aut sunt propria & inseparabilia, quæ *παθολογικα* nuncupantur: aut communia & separabilia, quæ generali voce *συνεδρευόντα* siue adsidentia dicuntur: Illa propriam morbi essentiam declarant, & statim cum morbo incipiunt & inuadunt, pariterq; desinunt, ac pro morbi magnitudine augentur aut minuuntur, nec ab eo seungi possunt: Hæc non necessariò morbo coherent, nec ex eius essentia immediatè procedunt; aliàs enim cum morbo inuadunt, aliàs superueniunt, aliàs neq; omninò adsunt: et si adsunt, vel durationem & motum vel morem aut euentum morbi ostendunt & patefaciunt.

27. Signa pleuritidis veræ & exquisitæ *παθολογικα* seu apparentia sunt febris continua, difficultas spirandi, dolor pungens & extendens, tussis valida, pulsus durus ac serræ modo asper & inæqualis. Gal. 1. aph. 12.

28. Fe-

28. Febris adest necessario, eaq; continua, tum propter adfectum ipsum, tum propter phlegmonem seu inflammationem, quæ in parte est cordi vicinâ, quo oblato & accenso, calor immodicus, qui ex sententia Galeni, febris est, in uniuersum corpus distribuitur.

4. vfu puls.

29. Auicennas etsi affirmat febres ex membranarum inflammatione exortas, non esse magnas, certum tamen est, & experientia testatur, quod satis magna, imò maxima, huiusmodi inflammationem febris comitetur. Nam si ea inflammatio alicuius fuerit magnitudinis, febrem inducit vehementem & acutam, quia ut plurimum oritur è sanguine bilioso, & pars adfecta non longè distat à corde, cuius inuolucro & diaphragmati connata est.

Lib. 1. fen. 4.  
tract. 4. c. 13.

30. Quin hoc loco & illud annotandum est, propter curationem, quod Medici quidam obseruarunt, & experientia cum ratione verum esse testatur, febrem scilicet in pleuritide, licet continua sit, non dissimilem esse tertianæ, quæ de tertio die in tertium extenditur, & qualibet tertiâ die accessiones habet & exacerbatur; quod ex humore bilioso putrescente oriatur, quemadmodum in peripneumoniâ quotidie exacerbationes deprehenduntur.

Auicenn. &  
Trincauell.  
c. de pleuri.  
Vega in  
doct. de feb.

31. Difficultas spirandi inflammationem hanc consequitur, non solum in genere sed etiam in specie. In genere quidem, etsi propter inflammationem respiratio magna esse deberet ac libera, non tamen est, sed difficilis, quia pleura, quæ est pars thoracis, instrumenti respiratorij, ob copiam infarctorum humorum ita adfecta est, ut pro respirationis vfu & necessitate, amplius absq; magno dolore distendi nequeat, quò fit, ut actiones respirationis, vfu nondum completo, fere cessent ac desinant.

Gal. de cõst  
art. cap. 15.

32. In specie verò teste Galeno, frequens est & exigua. Frequens quidem propter urgentem necessitatem: cum enim parua

3. loc. adf.  
c. 3.

paruà respiratione minus, quàm natura requirit, attrahatur, illud ipsum crebrâ & veloci actione compensare studet, quæ licet sit dolorosa, breui tamen tempore motum omnem perficit, minusq; thoracem offendit aut lædit, quia ad quietem contendit, quam celerrimam esse cupit, cum ea sola dolorem ex inflammatione ortum lenire & mitigare possit.

33. Exigua autem seu parua in pleuritide est respiratio, quia, quæ mouentur & dilatantur, magis dolent, quàm quæ in quiete consistunt & permanent: Et vt alibi Galenus scribit, si grauius adficiantur, dolent, licet non moueantur: Si verò leuior fuerit adfectus, dolent cum mouentur.

2. loc. adf.  
c. 2.

34. Præterea dolor, qui cum inflammatione est coniunctus, ipsum morbum indicat, qui ad latera in pectore firmatur. Species verò doloris sedem adfectam notat, nempe pleuram, in qua sentitur dolor punctorius & tensiuus, qui, si dicta membrana parte superiori inflammatur, ad iugulum pertingit, si in inferiori phlegmone consistat, ad hypochondrium descendit.

Gal. 2. l. adf.  
c. 5.

35. Hic verò dolor valdè molestus est, non solum ob respirationis velocitatem, sed etiam & quidem multò magis, ob dilatationis, quæ fit in partibus thoracis, magnitudinem, quæ omnibus modis, cum comprimendo, tum distendendo, tum violenter mouendo, partes thoracis vexat & adfligit. Atque eam ob causam plus de magnitudine, quàm de velocitate respiratio adimit.

Gal. lib. 1.  
de diffic. respirat. c. 7.

36. Quin etiam tussis concurret, eaq; valida, & initio quidem, ob paucitatem & cruditatem materiæ, sicca; post verò vbi materia in parte adfectâ coacta fuerit, humida, sputaq; pro diuersâ humoris peccantis naturâ variè colorata excernuntur.

37. Pulsus deniq; in pleuritide celer est & paruus, durus, serræq; modo asper & inæqualis tangentibus occurrit.

B

38. Fre-

Gal. lib. de  
const. art. c.  
15. & 3. præf  
ex puls. c. 3.

38. Frequens est seu celer, vsu sic urgente, ratione febris  
continua, vt ob velocitatem calor febrilis contemperari pos-  
sit: Paruus autem & minor quidem quam febrim conueniat,  
propter arteriarum duritiem & siccitatem, quæ magno pul-  
sui refragatur, arteriasq; attolli non permittit. Vnde quan-  
tum ab vsu abest magnitudo pulsus, tantum refarcit velocitas,  
quod vsui deest.

39. At durus deprehenditur pulsus, tum quia pars adfe-  
cta quæ suâ naturâ neruosa & dura est, tensaq; arterias quo-  
que in consensum trahit, & intendit: tum quia morbus cali-  
dus & siccus, arterias quoq; sicciore & duriores reddit. Inæ-  
qualis vero & quatuor digitis impositis serræ modò asper oc-  
currit (vnde & pulsus ferratilis vocatur) quia naturâ, copiâ  
materiæ aggrauatâ, arteriæ inæqualiter mouentur, dum vel  
altius à calore attolluntur, vel ob imbecillitatem depressio-  
res manent, quod cum fit, inæquales & inanes quasi foueæ,  
quales in serris conspiciuntur, in arteriarum pulsu obseruan-  
tur.

40. Atq; hæc sunt signa pleuritidis *παραπνευμονία* seu ap-  
parentia, morbo propria, & ab eo inseparabilia. Sequuntur  
*συνδρευσίτις* seu adfidentia, à morbo separabilia, quæ sunt do-  
lor capitis, decubitus vel in ægrum vel in sanum latus, & spu-  
tum.

41. Dolor capitis oritur à vaporibus acerbis & tenuibus,  
caput petentibus & membranas cerebri infestantibus & vel-  
licantibus.

42. Decubitus in ægrum latus, quam in sanum facilius  
est, siquidem materia inter costas & membranam succingen-  
tem collecta, aduerso decubitu, quasi pondere suo propen-  
dens, membranam, quæ neruosa est & sensilis, magis disten-  
dit, vnde dolor & tussis maior & acerbior oritur: At si adfe-  
cto lateri incumbat æger, dolor quidem percipitur, sed non  
ita

ita pungens & acris, quia tumor subsidit, & non adeò latè diffunditur.

43. Sputum quod variè coloratum est, causas morbi imprimis denotat. Rubrum enim conspicitur, cum sanguis calidior in pleuram influxerit, & inflammationem fecerit: Flavum aut pallidum, si sanguis biliosus peccauerit: Candidum & spumeum, vbi pituitosus fuerit sanguis: Liuidum aut nigrum, quando sanguis melancholicus abundauerit.

44. Sputum autè seu materia purulenta maturatâ phlegmone in adfecto latere per membranam, licet dura ac densa sit, vel transfudat, vel per tufam aut pure exesam, aut quouis modo rariorem factam, rupto abscessu excidit, & in thoracis cauitatem influit, in qua colligitur, & tamdiu manet, donec beneficio facultatis expultricis cum tussi eijciatur. 3. m. m. 12.  
5. loc. adf. 3.

45. Quomodo autem materia illa purulenta ex cauitate pectoris educatur & expurgetur, Gal. docet, & declarat. Et enim dum expirando thorax deprimitur & concidit, ac multò magis, dum in tussi vehementer comprimitur, humorem, qui in cauitate pectoris est collectus, cogit, & per tunicam pulmonem ambientem, quæ tenuis valde est, in asperas pulmonum arterias propellit & transmittit, quæ eum facillè admittunt & recipiunt, cum earum orificia cartilaginea & semper patentia, in extremum pulmonis, tenuissimâ tunicâ obducti, desinant & finiantur. 5. loc. adf. 3.

46. Sed præter sputum seu faniem, sunt & alia signa, quæ causas huius affectus indicant & discernunt. Nam à sanguine si fiat inflammatio, dolor non est adeò vehemens & distendens: Febris quidem vehemens, sed quæ nullas accessiones habeat, prompta sputi rubri maturatio & expurgatio, vrina rubra, ruber in corpore color, venæ tumidæ, habitus corporis sanguineus & carnosus, quem præcedit victus liberalior, copiosum sanguinem gignens, & corpus multùm augens, tē-

pus vernum, regio calida & humida, ætas iuuenilis, consue-  
tæ euacuationes retentæ, cuiusmodi sunt fluxus sanguinis è  
naribus aut hæmorrhoides, aut menses suppressi.

47. Biliosam pleuritidem indicat dolor valdè pungens,  
distendens & acris, pulsus durus & velox, febris acuta & ve-  
hemens, respiratio parua & frequens, tuffis, vrina valdè tenuis  
& rubra, habitus corporis gracilis, victus præcedens calidi-  
or. vt & ætas, & regio, tempus vernum ad æstiuam constitu-  
tionem accedens.

48. Si oriatur ex pituitoso sanguine, febris est remissior,  
dolor non admodum pungens, sed cum grauitate vrgens, pul-  
sus mollis & tardus, victus humidus pituitam procreans, re-  
gio humida, tempus autumnale.

49. In melancholicâ pleuritide, febris & alia symptoma-  
ta, deprehenduntur remissiora quidem, sed praua sunt &  
maligna.

50. Porrò *Nothæ* si fuerit pleuresis, omnia quæ supra enu-  
merata sunt symptomata, obseruantur mitiora. Et licet ab ex-  
quisita cruda parùm differt, facilè tamen ab eâ distinguitur,  
quod in *nothâ* pleuritide nulla omninò sit tuffis, cum exqui-  
sitâ pleuritide crudâ laborantes, siccâ tuffi plurimum mole-  
stentur: Deinde quod pulsus non adeò durus & tensus sit: de-  
niq; quod non æquè acuta sit febris, neq; adeò difficilis respi-  
ratio. In hac decubitus in vtroq; latere par est.

Gal. de cõst  
art. c. 15.

51. In alterâ *nothæ* pleuritidis specie, in quâ muscoli tho-  
raci impositi inflammantur, dolor quidem sentitur, sed spu-  
tum nullum apparet, quia nihil eius humoris, qui inflamma-  
tionis autor est, in thoracis cavitatem, per pleuram transudat  
aut influit, sed aut discutitur, aut concoctus ad cutim vsq; at-  
tollitur & inciditur. In hac specie, decubitus in adfecto late-  
re, ob tumoris compressionem, molestus est.

Gal. 4. loc.  
adf. c. 2.

L. 4. c. 6.

52. Hunc lateris dolorem Celsus attigisse & notasse vide-  
tur,

tur, vbi scribit: interdum id malum intra dolorem est, ( hoc est, præter dolorem nihil adfert periculi ) interdum ad perniciem quoq; procedit, nempe cum esse potest, acutus morbus, qui verè pleuritis dicitur.

53. In flatulentâ pleuritide dolor quidem adest ob solutionem continui, quia membranas & musculos distendit, sed vagus est & non fixus, sine febre, sine tussi, sine difficili respiratione.

54. Non satis est Medico, essentiam morbi cognoscere, sed & mores eius, h. e. an sit bonorum vel malorum morum, obseruet oportet. Mores autem pleuritidis etsi varij sunt, in tribus tamen potissimum consistunt, nempe loco adfecto, materiâ, cruditate & coctione.

55. Post mores considerandus est primum motus morbi, an velox sit aut tardus; si velociter moueatur & citò terminū attingat, breuior erit morbus; si tardius moueatur, & serius ad terminum perueniat, longior erit: Motus autem velocitas deprehenditur ex celeri augmento symptomatum, & ex signis coctionis. Deinde etiam obseruandus est terminus, num vel resoluatur, vel suppuretur, vel in alium morbum transmutetur, vel prorsus interficiat.

56. Hæc vetò omnia ostendunt & declarant signa prognostica vocata, quæ desumuntur vel maximè ab anni temporibus, tempestatibus, ætate, sexu, accidentibus & excrementis, nempe sputo, vrinâ, aluo: quæ omnia diligenter à Medico practico obseruanda & consideranda sunt.

57. Inter anni tempora teste Hipp. pleuritidem maximè & frequenter producit & infert hyems: quod & post Hipp. Aretaus adnotauit: deinde autumnus, minus ver, nisi interdum frigidum fuerit, æstas verò minimè aut difficulter.

58. Ex tempestatibus verò, vt Hipp. scribit, Aquilonia ob frigiditatem, cutem corporis condensantem, & euaporationem prohibentem, hunc morbum parit

3. aph. 25.

1. de: aul.  
& sig. acuto  
c. 10.

3. aph. 58.

B 3 Ad

59. Ad ætates quod attinet, Aretæus statuit senes maximè pleuritidi esse obnoxios, eosq; sæpius quàm alios, ab eo liberari; quod non magna in arido corpore fiat phlegmone, neq; ad pulmonem, ob pleuræ siccitatem, transitus sit facilis: In senectute enim, quam aliâ in ætate, frigidior est natura, respiratio exigua, & attractio omninò parua & imbecillis.

3. aph. 30.

60. Sic pleuritide corripi eos maximè, qui iuuenilem ætatem superârunt, auctor est Hippocrates. Aretæus verò scribit, iuuenes & viros, qui in vigore sunt constituti, non ita frequenter hoc morbo laborare, neq; etiam adeò frequenter ab eo liberari: nam neq; ab exigua seu leui causâ patiuntur, neq; ob exiguam inflammationem ægrotant: in magnis autem maius inest periculum.

61. Pueri, eodem Aretæo adfirmante, omnium minimè pleuritide laborant, minusq; ab ea periclitantur, aut moriuntur: corpora enim eorum rara, humida, fluxiliaq; existunt, ac multa in eis difflatio atq; digestio, quo circa neq; magnam contrahunt inflammationem. Et ea est huius ætatis in hoc adfectu felicitas.

62. Fœminas minus pleuritide tentari & corripi maribus (eiusdem scilicet ætatis) Aurelianus testatur. Cuius rei sine dubio eadem est ratio, quæ de pueris ex Aretæo adducta est. Accedit quod sint frigidiores viris, & quod sæpius illis menses fluunt, per quos multum materiæ ex corpore expurgatur & educitur.

63. Symptomata seu accidentia designant tempora morbi. Cum enim humor influit, & dolor, aliaq; symptomata infestare incipiunt, principium morbi est: vbi symptomata incrementum adest: quâdo dolor cum reliquis symptomatibus iam viget, & ægrum maximè torquet, in statu est morbus: at cum dolor & alia symptomata remissiora fiunt, & cessant, est in declinatione.

64. Ex

64. Ex accidentibus quoq; cognoscitur, an morbus sit magnus & longus, aut mitis & brevis. Mitem & breuem fore dicimus, si dolor, anhelitus difficultas, & febris non multam aut magnam molestiam pariant: si tussis non ita grauis, & cum eâ sputum coloratum eijciatur. Contra vehemens & longior erit, si dolor ad iugulum & hypochondria pertingat, si tussis magna, in quâ nihil expuitur, si febris sit valida, anhelitusq; difficultas maxima.

65. Verum enimverò non tantum ex symptomatibus, verum etiam ex sputo, quod excernitur, tempora morbi cognoscuntur: Nam cum sputum, quod eijcitur, indigestum seu incoctum est, in principio morbus consistit: si subrubeum aut subflauum appareat, finis principij instat: hoc si album, concoctum & maiori copiâ expuatur, in augmento morbus est constitutus: si minuatur & cessare incipiat, in declinatione iam est.

66. Ex sputo etiam desumuntur signa de longitudine & breuitate morbi, item de ægri salute aut interitu.

67. Vnde si in principio statim sputum excernatur, morbum breuiorem fore denunciat, sin tardius, productiorē seu longiorem. Per principium autem hoc loco non intelligitur instantaneum, quod est citra latitudinem, sed prout id extenditur ad tertium aut quartum vsq; diem, quo si materia concocta conspiciatur, morbus septimum diem non transcendit: quamuis etiam magnâ ex parte terminum suæ iudicationis habeat decimum quartum; aliquando etiam vterius extenditur, sicuti Hipp. 3. Epidem. de Anaxione pleuritico prodidit.

68. Nihil omninò expuere malum & perniciosum est, partim, quod humor in phlegmone quasi deuinctus teneatur: partim verò, quod crudus omninò sit, & totus, cum intus maneat, corrumpatur.

69. Qua-

69. Quatuor autem cruditatis gradus seu ordines in pleuride adnotantur, è quibus etiam denominantur. Crudissima ea est, in qua nihil expuitur, quam & incoctam pleuridem Galenus nuncupat. Secundum cruditatis gradum (sicuti etiam Altimarus ex Galeno adnotauit) illa obtinet pleuritis, in qua sanies tenuis reijcitur: Tertium, in qua crassior: & quartum in qua perfecta iam est concoctio, quæ si circa tertium aut quartum diem apparuerit, non contingit morbum transcendere septimum sicuti antea dictum est.

Cap. 50. de  
pleur.

Galen 5.  
aph 8.

5. loc. adf.  
c. 3.

70. De crudâ pleuritide Galenus scriptum reliquit, incoctæ, strictæ, & siccæ (sine sputo) pleuritides, vel celeriter hominem rapiunt, vel longo temporis spacio finiuntur.

71. Sputum crassum & viscosum crudumq; longum fore morbum prænunciat: tenue & magis spumofum, quod excoctum est, breuiorem & mitiorem.

72. Quò plus & facilius expuit æger, eo melius; quò minus & cum difficultate, eò deterius: nam si multum expuatur, morbus erit breuior, quod natura valida, & materia excocta sit: si parum & difficile expuat, morbus erit longior, quod materia sit viscosa crudaq; & natura imbecillior, quæ contumacem materiam concoquere non potest.

Gal. lib. de  
constit.  
art. 16.

4. epid. tex.  
47.

73. Sputa syncera & impermixta omnia mala sunt: sicuti & omnis humor syncere deiectus aut expulsus, mala portendit.

74. Sputum liuidum aut nigrum, omnium pessimum & perniciosissimum est, quia atra bilis in eo abundantior est, quæ concoctu est difficilima, & ad purgationem ineptissima; plurimum à calore exusta, maligna, corrosiua, designant non solum morbum longum, sed & curatu difficilem, calorisq; naturæ extinctionem.

75. Sputum rubeum omnium optimum censetur, quia ex sanguine gignitur, qui humor est benignus, & facile coctionem

onem ad  
mata inu  
breuiore  
76. cat quid  
ex qua gi  
citò mor  
contend  
77. dem mor  
quâ proc  
mouetur  
78. S  
humorem  
materia de  
coquatur  
79. I  
fuitis; q  
naturaliu  
vina in f  
alijs signis  
gnum ma  
adfectam  
80. Si  
aliquand  
quia natu  
ad intesti  
Valeriol  
pleuritid  
81. monia  
bus, sign

onem admittit, ac in pus transmutatur, mitioraq; sympto-  
mata inuehere solet: designat naturam robustam & morbum  
breuiorem & salubriorem.

76. Si sputum fuerit citrinum aut flauum, morbum indi-  
cat quidem breuem, sed acutum & perniciosum, quia bilis,  
ex qua gignitur, humor acris & mobilis est ac tenuis, qui vt  
citò mouetur, ita citò motum suum absoluit, & ad terminum  
contendit.

77. Sputum si fuerit album & viscosum, longiorem qui-  
dem morbum denotat, sed minus periculosum, quia pituita, à  
quâ producitur, lentus est humor, qui non tam citò vt bilis  
mouetur, & à naturâ excoquitur.

78. Sputum rotundum & foetidum, malum: arguit enim  
humorem, ex quo gignitur, esse lentum & viscosum, qui in  
arteriâ detentus, rotundam acquirat figuram, & cum non ex-  
coquatur, putrescit; ex putredine autem foetor.

79. Ex vrina in pleuresi nullum certum sumitur signum  
salutis; quia vrinae magis indicant adfectionem membrorum  
naturalium, quàm spiritalium. Bonum tamen signum est, si  
vrina in substantiâ benè cocta, & in residentiâ ac colore, cum  
alijs signis salubribus, proba appareat: Vrina tenuissima, si-  
gnum malum, quia significat materiam omnem ad partem  
adfectam confluere, & naturam parum per vrinas excernere.

80. Sic & ex alui profluuiò nihil certi pronuciari potest:  
aliquando enim in pleuresi alui fluxus, bonum est signum,  
quia natura validior facta, protrudit materiam peccantem  
ad intestina, & per aluum excernit, quod obseruauit doctiss.  
Valeriola, qui duos adnotauit, qui ex fluxu alui copioso in  
pleuritide orto, sanitati sunt restituti.

81. Aliquando alui profluuium pleuritidi aut peripneu-  
moniaë superueniens, si accidat cum reliquis signis insalubri-  
bus, signum est malum: indicat enim malum comunicari ven-

C

tricu-

triculo & epati, quæ alimentum ad se trahere, concoquere, & in sanguinem, ob virium naturalium casum, conuertere non possunt.

82. Aluus stricta semper signum est insalubre, quia anhelitum facit difficiliorem, excrementis in partibus sub diaphragmate retentis, quæ abdomen distendunt: tum quia vapores acres ab excrementis retentis elati, partem adfectam non tantum magis adfligunt & vellicant, sed etiam dolores capitis excitant.

83. Pleuritis sanguinea plerumq; salubris est, teste experientia: Biliofa, acuta & periculosa: Pituitosa grauis & diuturna. Melancholica omnium pessima, sicuti patet ex ijs, quæ supra de sputo relata sunt.

84. Pleuritidem sinistram dextrâ esse frequentiore & periculosiore, non tantum Auicenna attestatur, sed etiam Nicolaus Florentinus adnotauit, quod dextrum latus sit robustius sinistro, ob calorem epatis, quod sub dextro hypochondrio collocatum est: sed contrâ robustior ea est pars, cui plus caloris inest: Atqui in sinistro latere plus caloris est, quia vicinum est sinistro cordis ventriculo, & arteriæ magnæ trunco ex eo egredienti, quo nomine etiam ad inflammationem aptius & oportunius. Ideoq; etiam pleuresis ea periculosior iudicatur, quoniam calor præter naturam ad natiui proportionem plurimum adaugetur, fit acrior & acutior.

6. aph. 33. 85. Acidum eructantes, non admodum pleuritici sunt, quod naturâ sint pituitosi, pleuritis autem biliosos maxime inuadit.

86. Porrò si pleuritis non terminetur seu finiatur aut per resolutionem siue sudores & insensilem transpirationem, aut per suppurationem, in alium morbum, materiâ ad alias partes translata, transmutatur, nempe aut in empyema seu suppurationem, aut in peripneumoniam, aut in tabem.

87. Vnde Hippocrates scribit: qui pleuritide laborant, nisi intra quatuordecim dies supernè repurgentur, ijs in empyema fit mali translatio, seu ad suppurationem venit.

88. Repurgationem vocat eam humorum pleuresin procreantium euacuationem, quæ fit per sputa, supputando dies, ab eo, quo ager primum expuere cœpit. Suppurationem verò appellat ad pus transmutationem, & puris inter thoracem & pulmonem effusionem.

89. Transmutationem autem fieri ostendit inordinatus & non typicus rigor cum feбри, & in parte, quæ antea dolore vexabatur, graue pondus sentitur, vt Hipp. testatur.

90. Caterum etsi in allegato aphorismo Hippocrates inuauat, pleuriticos, supernè per sputa expurgari: nullo modo tamen negandum est id, quod testimonio Galeni & aliorum confirmatur, pleuriticos etiam per inferiora, nempe aut per aluum, aut per vrinas expurgari.

91. Verum per quas vias huiusmodi expurgatio fiat, non satis constat. Sunt enim qui contendunt, naturam, quæ sine magistro edocta est, & insensiles meatus, Medicis incognitos, ipsi verò optimè cognitos, inuenire, & sibi ad exonerationem eorum, quæ infestant, patefacere. Videmus enim naturam in abscessibus per ossa viam aperire: sic aquæ in hydropicis per vias nobis incognitas in pectoris cauitatem illabuntur. Nec manifestus est meatus, quo è cauitate pectoris pus aut fanies in asperam arteriam deriuetur. Sic superioribus annis abscessum abdominis per secessum expurgatum quidam ex nostris obseruarunt. Sed hæc fiunt, quia vniuersum corpus conflatile, conspirabile, consentientia omnia.

92. Alij verò sunt, qui vias manifestas & patentes excogitarunt: sed & de ijs meatibus aliter statuunt veteres, aliter recentiores.

93. Auicennas hanc excogitauit viam, materiam scilicet

purulentam per compressionem thoracis in pulmones transmitti, & ex ijs rursus per venam arterialem in dextrum cordis ventriculum, hinc in venam cauam, quæ in illum infigitur, ex hac per venas emulgentes in renes, & tandem ex his per vretes in vesicam ferri, & tandem ex eâ, vbi vel quantitate vel qualitate molesta fuerit, vi facultatis expultricis effluere & expurgari.

94. Galenus verò statuit materiam è pulmone per arteriam venalem in sinistrum cordis ventriculum, cui illa connascitur, deduci, inde in asperam arteriam defluere, ex hac verò per arterias emulgentes, renes & vretes ad vesicam propelli, ex eaq; effluere & excerni.

95. Sed inueniuntur alij, qui nec Auicennæ nec Galeni opinionem approbant & admittunt, sed vtramq; probabilibus rationibus impugnant. Qua de re legatur Matthiolus & Iulius Alexandrinus in Epist. Medicinalibus.

l. i. epist. 3.  
& 4.

In obseruat. de venis 5.

96. Gabriel Fallopius Mutinensis Anatomicus acutissimus vias patentes & manifestas inuenit & monstrauit. Is enim non tantum obseruauit ramum ex venâ sine pari, in sinistrum latus, circa octauam costam, supra vertebra, produci, & ad earum processus transuersales descendere, ac in superiorem sinistrae venæ emulgentis sedem implantari: sed & eundem delineauit & in schemate proposuit: hanc insertionem adeò manifestam esse adfirmat, vt inflatâ venâ sine pari in exortu, non tantum hic ramus, sed & ipsa emulgens sinistra intumescat, & simul cum ea venâ caua, cum ramis eius, qui ad femora descendunt.

l. 3. c. 13.

97. Huius rami etiam mentionem facit Ambros. Pareus: sic & Hieron. ab Aquapendente, sicuti à quodam fide digno accepimus, hunc ramum ex venâ ἀξὺρα exortum, in sinistram emulgentem implantari, in publicâ Anatomia monstrauit. Nos quoq; in tribus corporibus, quæ proximis annis disse-

disse-

dissecuimus, rami huius exortum & progressum conspeximus, eiusq; insertionem, inflatâ venâ sine pari, in sinistrum emulgentem, studiosis spectatoribus, commonstrauimus.

98. A pleuritide, peripneumonia, malum: quia peripneumonia, quæ est inflammatio pulmonis, maior & periculosior est morbus quàm pleuritis, cum, quod pars noxiorum humorum, à parte ignobiliori, pleurâ videlicet, ad magis principem, pulmonem nimirum, transferatur: tum, quod minimè mutato foco, aliam partem vna contaminat.

99. Qui ex pleuritide empij fiunt, seu suppurantur, si intra quadraginta dies, à die, quo fit ruptio, repurgantur, liberantur: si verò non, ad tabem transeunt, quod pulmo ab erosione diutius tutus esse queat, quippe rarus cum sit, promptè in se recipit pus, à quo cum putrescit, substantia eius exulceratur, & fit tabes, quæ tandem mortem adfert.

100. Occidit pleuresis aut nimio dolore, alijsq; symptomatibus, si nimis vehementia fuerint: aut suffocatione, cum materia in pulmone consistens, aut in arteriâ hærens, ob debilitatem virium expelli non potest.

101. Vigiliæ, sitis vehemens, alienatio mentis, inappetentia, virium debilitas, mortem in propinquo esse, significant. Vna autem pleuriticis salus & virium robur & constantia.

102. Quemadmodum aliorum morborum ita etiam pleuritidis curatio, triplici auxiliorum materiâ ceu instrumentis perficitur & absoluitur, diætâ, Chirurgiâ & pharmaciâ. Auic. l. 1. fen. 4. c. 1.

103. In pleuresi, cum morbus sit acutus, tenui victu vtendum, cuius, sicuti acutorum morborum multæ sunt differentia, variæ sunt species: Hippocrates plurimum commendat in hoc morbo cremorem ptisanæ. 1. aph. 8. 1. aph. 7.

104. Ptisana autem Hippocratis tempore erat admodum simplex: Galeni seculo medicamentosior: incoquebat enim

porrum, anethum, & sal adijciebat. Hodie pro cuiusq; intentione plura incoquantur, nempe rad. glycirrhizæ, fœniculum, adiantum, hyssopus, malua, capill. Ven. passulæ corinthiacæ, amygdalæ, sem. anisi, maluæ, melonum, cucurbitæ: flor. violarum: Exhibebantur etiam iuscula gallinarum, ova forbilia, cremor auenæ, pruna Vngarica, lac amygdalar. dul. lac & semin. melonum, cum aqua hordei paratum, mala dulcia adfata vel decocta & saccharo cand. conspersa, panes Martij vocati, pisces saxatiles & alia.

105. In victu diligenter respiciendum est ad consuetudinem; neq; initio multum cibi est exhibendum. Si vires consentent, ad vigorem vsq; tenui victu vtendum, sin minus, paulò plenior victus ratio instituenda. Nam quod ad inflammationem attinet, minimè cibandum, quod ad virium imbecillitatem, vtiq; sæpè.

106. Quo mitior est morbus, eo pleniori victu vti licet.

107. Tenuiter cibandi sunt ægri, antequam sputum procedit, cum expuere incipiunt plenius: Vnde veteres in initio huius morbi vel nihil, vel solum potum concedebant.

108. In exacerbationibus cibum adimere oportet, nam præbere, noxium: nam cum per circuitus redeunt morbi, in ipsis accessionibus abstinendum.

109. Non tantum dandus cibus qui vires conferuet & nutriat, sed simul medicamentosus, qui pectori gratus sit, & humoris concocti expectorationem promouere, crassa & viscosa in pectore attenuare & abstergere, tenuia mitigare & incrassare possit: Et huic negotio maximè accommodata est ptisana seu cremor hordei vel auenæ.

110. Potus apud veteres in hoc morbo erat aqua hordei, mulsa, oxymel: hodie exhibetur aqua hordei, aut decoctum cinnamomi, glycirrhizæ, florum violarum cum syrupo violarum dulcoratum. Quod si magis detergendum, loco syrups  
viola-

violati, mel additur: sed fortius erit, si hyssopus, marrubium, capilli Vener. radix iridis, admisceantur.

111. Si febris & fitis perseuerent, & vigiliæ adsint, licet parare Iulepum ex syrupo de papauere, de nymphæa cum aqua endiuæ aut cichorij, quibus etiam aliquando, si non deprehendatur difficultas anhelitus, & tussis, succus granatorum additur.

112. Hippocrates & Galenus etsi vinum concedunt dulce, quod minus grauat caput, minusq; mentem mouet, summa tamen cautione, & non nisi cum aq. violar. scabiosæ, veronicæ, cichorij dilutum, propinandum, maximè si vires imbecillæ existant. In declinatione vinum tenue conceditur, sicuti & alimenta pleniora.

l. 3. de regim. acut. c. 2.

113. Aqua frigida non conuenit, frigidum enim pectori inimicum, tusses mouet, destillationes efficit. In lateris inflammatione, & succingentis tumore, vt Aretæus nouit, non solum frigida aqua, sed etiam frigida respiratio mala.

s. aph. 24.

114. Aer sit temperatus, modicè tamen ad calidum declinans.

115. Quies corporis omninò imperanda, & ob omni motu abstinendum.

116. Somnus in initio mediocris conuenit, longior in declinatione. Aeger decumbat eo situ, quo se melius habere sentit: In adfecto si decumbat latere, minus dolet, vnde & id commodi accedit, quod calore aucto inflammationis materia resoluatur & discutatur.

117. Omnes animi perturbationes, præsertim metus, mœror, ira, fugienda.

118. Aluus si subsistat, mouenda, nam teste Hippocrate & Galeno, vapores & spiritus flatuosi, & exhalationes excrementorum, cum ad latus peruenerint, dolorem pariunt & adaugent: subtrahenda igitur sæpius aut clystere, aut mannâ, in decocto pectorali adhibita.

l. de regim. acut. p. 32.

119. Con-

119. Constitutâ victus ratione Medicus duo maximè debet spectare, vt, quod in fieri adhuc est, impediatur, & quod iam factum est tollat & curet; quæ peraguntur per chirurgiam & pharmaciam.

120. Quod factum est, curatur euacuatione sanguinis, per venæ sectionem, & humoris peccantis, ac inflammationem procreantis expurgatione: Quod in fieri est, prohibetur auersione humoris influentis à parte adfectâ & humoris incrassatione.

121. Repellentia seu repercuentia hîc, vt in cæteris inflammationibus, locum non habent, ea enim dissuadent pars adfecta eiusq; positus: nam repercuentia materiam à circumferentiâ ad centrum, ab externâ parte ad internam, adeoq; ignobiliori parte ad nobiliorem, pulmones scilicet, aut cor, propellunt, ibiq; pulmoniam aut syncopen gignunt, aut subitanam mortem introducunt.

122. Hippocrates in initio fomentis calidis utebatur, siue tumor inter initia sit exortus, siue postea superuenerit, vt hac ratione resolueret materiam in parte adfectâ contentam.

123. Fomentorum idem vt varias differentias, ita & varios applicandi modos proponit. Primum, quod omni morfu caret, paratur ex aquâ calidâ, & cum spongiâ vel vtre, vel vesicâ bubulâ, vel ex vase æneo adhibeatur & applicatur. Sed ne molestiam aliquam creet, molle aliquid ex linteo vel lanâ factum, lenitatis gratiâ substernit: admouet autem spongiam expressam, ne succus quoquouersum diffundatur, quam & linteo obducit & contegit, vt calor diutius in loco adfecto permaneat, & ne vapor à spongiâ ad pulmones & os feratur, difficilemq; pariat respirationem. Et hoc est mitissimum & tutissimum fomentum, quo etiam ad acutissimas & biliosas valdè pleuritides vtendum Galenus censet, quoniam à ficcis & calidis proritarietur humor ille, qui contrarijs temperari debet.

124. Al-

2. de regim.  
acut.

124. Alterum fomentum conficitur ex hordeo & eruo in oxycrato cocto & sacco exceptum adhibetur: hoc fomentum Galenus applicari vult, vbi timor est, crassos & glutinosos humores in parte inflammata collectos esse, quos erui vis ficcare, & per halitum digerere & discutere potest.

125. Tertium fomenti genus ex rebus siccis paratur, milio & sale, quæ etsi ambo exsiccant, in hoc tamen differunt, quod sal vim acriorem habet & plus discutit, vnde & humori contumaciori conuenit, cuiusmodi est pituitosus: Milium verò tantum siccat absq; acredine, & sanguineo humori magis vtile.

126. Nostro seculo fomentis rarò in initio vtimur, quamuis non negamus, illorum vsum in verâ pleuritide commo-  
3 l. adf. c. 9.  
& 1. de cõp.  
med. f. l. c. 1.  
& 8. dum esse, Vniuersalibus remedijs præmissis: semper enim obseruandum est Galeni præceptum, Vniuersalia præmittenda particularibus; vt ergo in initio non est repellendum, ita multò minus resoluendum, priusquam totum corpus conuenienter & probè sit euacuatum.

127. Si tamen dolor valde vrgeat, paranda sunt fomenta ex ijs quæ anodyna sunt & emolliunt: vt ex rad. altheæ, lil. albor. herb. maluæ, bismaluæ, violariæ, parietariæ, flor. chamom. meliloti, anethi: sem. lini, fœnugræci & similib. quæ cocta filtro vel panno duplicato, aut in vesicâ suillâ vel bubulâ applicantur. Hæc præterquam quod anodyna sunt, materiam in parte hærentem dissoluunt, & fluxiones cessare faciunt.

128. Excogitarunt qui Anglicum composuerunt herbarium, medicamentum ex fermento factum, quod cum multi  
Cap. de tri-  
tico. pro secreto habeant adijciendum putamus. Resp. rad. altheæ vel cort. rad. vlni, lilior. alb. an. ℥ij, herb. maluæ, bismaluæ, violariæ; flor. hypericon. chamomil. an. M. ij. Coquant, conterunt, cribrant, & admiscunt fermenti panis cibarij ℥v.

D

farinæ

farinæ sem. lini, foenugræci an. ℥j. ol. amygd. d. vel butyri  
insulsi, ol. violar. an. ℥ij. M. f. secundum artem Cataplasma:  
hoc in initio adhibito, plurimos pleuriticos discussione vel  
resolutione materiæ sanatos esse, sunt, qui strenuè adfirmant:  
lenit enim, concoquit, & collectas materias probè discutit.  
Fermentum enim quod huius medicamenti basis est impactū  
& collectum in loco angusto sanguinem, factā quasi fermenta-  
tione, distendit, & rarefacit membrum, non secus ac pasta  
farinacea massam distendit & rarefacit.

129. Sed ne humor ad pleuram amplius confluat, aut si  
influxit, & in eā consistit, omni studio & labore à parte adfe-  
ctā, auertendus, reuellendus & euacuandus est, quod fit per  
clysteres & suppositoria, venæ sectionem, purgationem,  
cucurbitulas, sanguifugas, ligaturas, frictiones.

130. Si aluus in initio adstricta sit, aperiatur vel supposito-  
rijs communibus, ex melle, sale cum colocinth. aut hierā  
Gal. præparatis. Vel soluatur clystere emolliente, tali mo-  
do parato: Recip. herb. maluæ, bismaluæ, violar. lactucæ, bran-  
cæ, vrsinæ, parietariæ, an. M. j. rad. lil. alb. maluæ, bismaluæ  
an. ℥ s. sem. lini, foenugræci, meliloti, melonum an. ℥ij. flor.  
chamomill. lil. albor. violariæ an. ℥j. f. Fiat omnium decoctio  
in aqua fontis. Colaturæ Recip. lb. cui dissolue cassiæ pro cly-  
ster. ℥vj. diaphæniconis ℥ s. ol. viol. lil. alb. chamomillæ an.  
℥j. falis ℥j. vitell. oui No. j. M. f. Enema.

131. Factā alui lenitione, mox vena secanda, præsertim si  
dolor ad iugulum, brachium, vel mamillas pertingit: si verò  
ad hypochondrium protenditur, purgandum erit.

132. Sed quænam vena aperienda sit, & quo in latere, plu-  
rimum controuertitur inter autores. Sunt enim qui adfir-  
mant, tundendam esse venam brachij internam, lateris sani:  
Alij adserunt, venam brachij iecorariam lateris dolentis in-  
cidendam esse: Nonnulli volunt, in quatuor costarum supe-  
riorum

riorum inflammatione, semper venam lateris dolentis refe-  
randam esse, in inflammatione verò octo inferiorum costarū,  
siue ea in dextro siue sinistro latere fuerit, semper venam dex-  
tri brachij feriendam esse, quod vena azygos ex latere venæ  
cauæ dextro emergat. Omnes suam opinionē varijs multisq;  
rationibus, autoritatibus, & experientiæ documentis, com-  
probant & corroborant, quæ omnia hîc referre & profusius  
explicare superuacaneum esse arbitramur.

Vesalius:

133. Breuitati igitur studentes asserimus, melius & con-  
sultius esse, ex venâ internâ brachij (quam basilicam seu he-  
paticam appellant) in adfecto latere, sanguinem educere, quâ  
apertâ, subito & commodè, secundum venarum rectitudi-  
nem, consensum, & loci vicinitatem, sanguis à loco adfecto  
reuellitur & euacuatur, ita vt hac ratione & siens & iam facta  
pleuritis, benè curetur.

134. Basilica vena, si in conspectum non veniat, media  
vel cephalica secanda est in adfecto latere, ex quâ si sanguis  
fluit, parte superiore comprimenda est, quod cum fit, sanguis  
ex hepaticâ profluit & euacuatur.

135. Nosram sententiam probamus & stabilimus autori-  
tate Hippocratis & Galeni Hippocrates expressè docet, se-  
candam esse venam, qua parte dolor adfligit; qui locus, atte-  
stante Galeno in comment. interpretatio est textus 10. Hip-  
pocratis, in quo simpliciter dixerat, venam internam cubiti  
secandam esse.

4. rat. viâ.  
acut.

1. 2. de acut.  
viâ.

136. Galenus nosram sententiam confirmat in libro, quem  
de curandi curatione per sanguinis missionem scripsit: pleuri-  
tidis inquit, quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit san-  
guinis missio, clarissimam sæpè vtilitatem attulit, quæ verò  
in brachio opposito, aut omninò obscuram, aut certè post  
temporis interuallum.

c. 15. & 16.

137. Quin & experientia pro nobis militat: nam ex com-  
muni

muni practificantium vsu constat semper profuisse venæ secti-  
onem in adfecto latere. Quod summo iure accidere puta-  
mus, cum Galenus dicto loco paulò post subijciat, eam venam  
magis ac citius à parte adfectâ reuellere & euacuare, quod  
maximè in pleuritide, morbo acuto, in quo occasio præceps,  
& tarditas cum periculo coniuncta est, requiritur. Sectâ e-  
nim in latere dolente venâ, non tantum sanguis in venâ cauâ  
contentus, educitur, & à parte adfectâ reuellitur, sed etiam  
is, qui in inflammatione consistit per ramulos illius venæ, quæ  
in vtroq; latere ex axillari enascitur, & cum ramis venæ sine  
pari coniungitur, euacuatur: Quin dum hac ratione reuelle-  
re studemus, illud Hippocratis κατὰ τὴν ἀριεὶν καὶ εὐρὴν id est, recti-  
tudinem & communionem, quam partes dextræ ad dexteras  
& sinistræ ad sinistras inuicem habent, rectè obseruamus.

138. Concludentes igitur adserimus in verâ pleuritide,  
quæ per digestionem & expectorationem terminari solet, ve-  
nam iecorariam brachij in latere læso, maximo ægrorum  
commodo aperiri, præsertim si in principio statim Medicus  
vocetur, quod tamen rarò admodum fieri solet, vel etiam si  
tertio vel quarto die vel etiam sexto accedat, cum iam non  
parum sanguinis in pleuram influxit, & inflammatio facta  
est.

Mercat. de  
morb. mul.  
l. 4. c. 11.

139. Vbi verò pleuritis à suppressis mensibus in fœmi-  
nis, aut hæmorrhoidibus in viris, orta fuerit, aut mulier post  
partum non satis probè sit purgata, sectio venæ, quæ ad talum  
aut malleolum consistit, in latere dolente facta, præmittenda  
est. Quod etiam commodè fieri posse arbitramur, vbi pri-  
mo inuasionis die ægrotanti Medicus præsto sit, & paucum  
id est, quod influxit.

Donat. ab 140.  
Altomari &  
Trincauel.  
cap. prop.

Qui in opposito seu sano latere venam incidunt,  
pleuritidem feliciter non curant, sed humorem peccantem,  
vel in inflamatâ parte relinquunt: vel si reuellant, puro san-  
guini

guini permiscet, & quod frequentissimè accidit, sani lateris pleuritidem inuehunt. Cum enim acuti morbi celerrima & præstantia remedia requirant, & in tardare malum sit, inter-  
norumq; membrorum inflammationes citissimè hominem rapere soleant, rectius, vt supra dictum est, in brachio lateris dolentis, quam in opposita, secunda est vena, ne pro citissimo & promptissimo remedio, tardum & ignauum subsistatur & adhibeatur.

Fernel. m.  
m. l. 2. c. 5.

141. Hippocrates etsi in pleuritide, vbi sanguis expuitur, & natura ægri biliosa est, venæ sectionem dissuadet, à Galeno tamen eius sententia non approbatur: scribit enim, pleuritidem talem interdum adeò mitem ac placidam esse, vt non necesse sit sanguinem mittere, sed conducibilis esse, si alijs remedijs ad pleuritidem accommodatis curetur.

lib. de hum.  
pag. 33.  
in commē.

142. Sic & Arabes in biliosa pleuritide à sectione venæ, cum sanguis sit frenum bilis, abstinendum esse, censent: at cum calida biliosaq; plenitudo tutissimè & celerrimè per missionem sanguinis tollatur, vt quæ non solum eam euacuando imminuit, sed & refrigerat, meritò illorum sententiam in medio relinquimus.

Auicēn. l. 1  
f. 4. c. 20.

143. Aretæus licet eodem die quo pleuritis inuadit, venæ sectionem præcipit, vnum tamen casum excipit, quando scilicet à cibi potusq; repletionem malum contigerit: tunc enim incisio venæ differenda, & vnus diei inedia præcipienda, ne in vasa inania crudus humor recipiatur.

144. Cæterum cum in hoc morbo, vt supra dictum est, aliquando manifestæ deprehendantur & obseruentur accessiones, expectanda est remissio; nam, vt Celsus monet, si vehementer vrget febris, in ipso eius impetu, sanguinem mittere, hominem est iugulare. Si verò non speratur remissio, quouis tempore, vel vesperi vel etiam media nocte (præceptum enim occasio est) venæ sectio instituenda est, & diuersis vicibus re-

l. 2. c. 10.

petenda, si vires fuerint debiles, nec in corpore plethora  
adsit.

4. de regim.  
acut. t. x.

47.

2. de regim.  
acut. t. 10.

Quantum sanguinis sit educendum inter Medicos  
disceptatur. Hippocratis consilium est, ut sanguis mittatur  
ad lipothymiam usque, & coloris mutationem, donec scilicet,  
pro puro & rubicundo, liuidus aut niger egrediatur. Sed hoc  
non faciendum citra distinctionem: locum enim habet, do-  
lore maximo ægrum torquente, & viribus bene habentibus:  
quod si vires non constent, non arbitramur, aliquomodo con-  
tra Hippocratis præceptum facere, si partitâ sectione sangui-  
nem extrahat: siquidem & hoc Aretæus fecit, qui cum disse-  
ctâ venâ sanguis mediocriter effluxit, interiecto temporis in-  
teruallo, sectionem, si opus sit, repetit, & si æger bene habet,  
ac vires ferunt, eodem die, sin minus, postridie.

1rb. de cu-  
curb.

146. Vbi vires, ætas, anni tempus, sectionem venæ non  
permittunt, cucurbitulæ cum scarificatione, cum ad reuellen-  
dum tum ad euacuandum, in initio hypochondrijs aut lum-  
bis, aut ipsi loco dolenti, aut humeris, vniuersalibus præmis-  
sis, teste Galeno, vtiliter sunt adhibendæ, quas & Trallianus  
commendat, præsertim si non magna adsit materiæ copia.

147. Insensilem quoque reuulsionem efficiunt cucurbitu-  
læ siccæ, frictions, & ligaturæ extremorum dolorificæ, quæ  
à practicis in initio commendantur.

148. Si vena secanda non adpareat, commodè apponan-  
tur sanguisugæ, & potissimum in pueris, quæ ut plus sanguinis  
proliciant, caudæ illarum abscindendæ sunt.

2. de regim.  
acut. p. 11.

149. Quod ad PHARMACIAM attinet, in principio  
morbi usum purgantium, ad remotionem causæ anteceden-  
tis, admittimus, præsertim si dolor, ut Hipp. consulit, ad hy-  
pochondria descendat. Materia siquidem peccans, teste  
Galeno, ob viciniam & rectitudinem cum intestinis, citò ac  
facilè ad aluum deducitur: quæ enim educere oportet, ut  
alibi

alibi Hippocrates præcipit, quò maximè vergere videbuntur, ducenda, vijs cum locis vtiliter eò ferentibus. 1. 4. p. h. 27.

150. Cathartica Hippocrates præscribit vehementissima, helleborum, peplium, quibus tamen admiscet, quæ horum medicamentorum vim & malignitatem cohercere & retundere possunt.

151. Hoc præceptum Hippocratis Galenus (cui aliàs verba Hippocratis Diuina oracula sunt) non laudat. Aurelianus verò planè improbat siquidem purgatio semper phlebotomiã, vbi partes inferiores adficiuntur, nocentior & periculosior est, quia concitatos & commotos humores ad partem adfectam deducit & transmittit. Hoc Galeni consilium 1. 3. c. 33. Aegineta secutus videtur, cum inquit: Recentiores omnibus venam secant, veriti turbationem ex purgatione: licet igitur sectio venæ in hoc morbo sit non adeò promptum remedium, insigniter tamen confert, & multò securius est purgatione, quam sistere in nostrã non est potestate, sicuti venam apertam occludere possumus quando volumus.

152. Non autem existimandum est, nunquam purgantia adhibenda esse, cum, vbi corpus vitiosis humoribus sit repletum, commodè & feliciter propinentur. Vnde Trallianus 1. 6. c. 7. vulgares Medicos rectè vituperat, qui cauent, ne pleuriticos aliquando purgent, ad venam autem sectionem tanquam inculpatum & tutius remedium mox confugiunt & properant.

153. Tempestiuam esse purgationem Hollerius existimat, materiã turgente, prima aut secundã die: quamuis alij quarto, quinto, aut etiam sexto, vbi materia influxit, eam commodam esse censent.

154. Ante purgationem autem præparanda seu digerenda est materia decocto hordei, violar. capill. Ven. scabiosæ, sem. card. benedict. card. Mariæ, glycirrizæ, iuiub. sebest. addito

dito syr. violar. glycirr. capill. Vener. &c. quæ omnia inci-  
dunt, detergunt, & sitim extinguunt.

155. Conferunt autem in hoc adfectu non solum fortiter  
purgantia, sed blanda & benedicta vocata, quæ stipticitate ca-  
rent & pectori grata sunt, & leniter educunt, cuiusmodi sunt  
cassia, manna, syr. violar. solut. & rosor. dia. prun. elect. leni-  
tium, diacathol. quibus etiam in decocto conuenienti ali-  
quid Rhab. agarici troch. senæ, hieræ comp. diacarth. pro  
diuersitate humor. peccantium tuto admisceri possunt, à qui-  
bus rectè præparatis, nullum periculum inflammationis ma-  
ioris, sputi suppressionis, aut diarrhææ superuenientis, me-  
tuendum.

156. Clysteres quoq; contueniunt ex decocto communi  
cum oleo violaceo lil. alb. chamomelino, cassiâ, mannâ, elect.  
lenitio præparati.

157. His ita ritè præmissis, ad ea, quæ sputum promoue-  
re possunt, deueniendum est, quæ tamen vsurpanda non sunt,  
dum morbus adhuc crudus est, sed tum demum, vbi tussien-  
do aliquid expellitur. Horum autem medicamentorum ma-  
gna copia apud præcicos inuenitur: In officinis parata ha-  
bentur syr. viol. de iuiubis, capill. Vener. tussilage, veroni-  
câ, hyssopo, glycirriza, marrubio, oxymell. simp. & alia, Item  
lohoch sanum & expert. de pino, de pulmone vulpis, è squilla:  
tum saccharum penidium, candum, species vel rotulæ diaire-  
os Salom. diatragacanth. frig. bechiæ albæ & similia, quæ o-  
mnia expectorationi conducunt, eamq; absq; insigni conten-  
tione seu molestiâ iuuant & promouent.

158. Sunt qui ex herbis pectoralibus, fructibus, semini-  
bus & floribus, apozemata seu decocta conficunt, ijsq; quos-  
dam syropos admiscunt.

159. Multi in sanguineâ & biliosâ pleuritide, vbi fluxus  
adhuc viget, felici cum successu, exhibent, quæ leniter in-  
crassan-

per omnia inci-  
solum fortiter  
triplicate ca-  
uiusmodi sunt  
an. elect. leni-  
nuenienti ali-  
diacarth. pro  
ossunt, à qui-  
mationis ma-  
nentis, me-  
do communi  
mannâ, elect.  
m promoue-  
da non sunt,  
vbi tussien-  
torum ma-  
arata ha-  
e, veroni-  
z alia, trem-  
ois, e squilla  
vula diaire-  
silla, quoz-  
igni conten-  
nt.  
bus, femini-  
t, isq; quol-  
e, vbi fluxus  
e leniter in-  
crassan-

crassando, & in frigidando humorum influxum impediunt & sistunt, materiamq; tenuem ad expuitionem reddunt, cuiusmodi sunt diatragacanth. frig. diapenidiū si ne speciebus syr. violar. de iuiub. sebest. tussilage. Præ alijs verò in hunc finem summoperè commendantur à Valleriolo flores papaueris rub. syl. quos vel siccos cum aq. pimpinellæ & scabiosæ, addito syr. de hyssop. si febris non sit magna, aut violaceo vel tussilage, si febris sit acutior, duorum scrupulor. vel vnius pondere exhibet: vel eosdē cum decocto pectorali propinat: In crassando enim fluxiones impediunt, dolorēq; sistunt, & in sputo promouendo, & pleuritide leuanda, mirificam, & multo experimento comprobatam vim habere deprehenduntur.

160. In pleuritide pituitosâ addenda sunt leuiter detergentia: validè enim incidentia & attenuantia, quæ calida sunt, in principio non conueniunt, quia materiam fluxilem reddunt, quæ promptius locum adfectum progreditur: In hoc casu syr. capill. Ven. qui sine manifesto calore incidit & abstergit, summoperè confert: Fluxione autem iam factâ & consistente, commodè demum incidentia & attenuantia vsurpantur: Et in hoc casu probatur præter alia vehementer syr. de hyssop. qui ex incrassantibus & simul attenuantibus constat; vnde & à Serapione bonus aggregator appellatur.

161. Et supra enarratis medicamentis etiam Eclegmata & linctus huic intentioni idonei, pro humoris peccantis natura, parantur, cuiusmodi etiam multi à practicis præscripti inueniuntur.

162. Medicamenta, quæ proprietate occultâ hunc morbum curare putantur, præcipua sunt, dens apri pudendum bubulum aut ceruinum, flos papaueris rhæad. carduus benedictus, carduus Mariæ eorumq; semina, maxilla lucij piscis, oculi cancri, cortices auellanarum rubearum, terra sigillata, iuscula pauonum.

E

163. Hæc

l. 3. de præ-  
sag. expul.  
c. 5.

163. Hæc verò et si quidam tanquam certas antidotos, neglectis alijs medicamentis, exhibent, & ad proprietatem occultam, quæ exprimi nequeat, confugiunt, nihil tamen certi, teste Galeno, docent & proponunt. Nos hæc omnia ad qualitates manifestas reducunt, flores papaveris Rhæad. & terram lemniam in frigidando & incrassando, iuuare, priapum tauri vel cerui, influentem materiam vi exiccandi, quæ pollet, absorbere: carduum benedictum & Mariæ, sudores prouocando, à parte adfectâ repellere pronunciamus, & constanter adserimus. Idem de reliquis esto iudicium.

164. Vbi sputum valdè est glutinosum & tardè procedit, ita vt ægri quasi suffocari videantur, Scribonius. Lar. seq. medicamentum, quod summi secreti loco habet, exhibet. Recip: Myrrhæ ℥ij. croci ℥j. pip. gr. XV. mellis lib. i. quæ præparata & data cochlear. 5. aut 6. mensurâ, vias spiritus aperit, tussim promouent, & facilè sputum educunt. Sic chymici pro arcano multis experimentis probato vehementer commendant flores sulphuris sublimatos, quos ad ℥j in aq. carduibened. aut Mariæ propinant: Idem etiam oleum ceræ in iisdem aquis exhibitum, aut per se illitum miris laudibus extollunt.

165. LOCALIA quæ in hoc morbo extrinsecus adhibentur, & reliquias digerunt & resoluunt, suppurationem prohibent (ne sanies vlcus pulmonum efficiat, & ex eo phthisis oriatur) sunt fomenta, quæ partes internas humectant, & leniunt, vnguenta & cataplasmata, quæ ex radicibus, herbis, floribus, seminibus, oleis, butyro, medullâ, adipe animalium, componuntur, quorum omnium formulæ plures & variæ apud praticos reperiuntur.

166. Si materia ad vias vrinarias tendat exhibenda sunt ea, quæ naturæ conatum dirigunt & promouent, vt est deco-

Arum  
fenic  
167.  
antes  
168.  
tur, pr  
lis, v  
cope &  
ijs cor  
bet.  
cent,  
quæ a  
pleurit

DN.

Vng  
M  
Ora

Hum 4. sem. frig. maior. capill. Ven. rad. asparagi, graminis,  
foenic. rusci, liquiriciæ, cicer. rub. & similia.

167. Si vero pus per aluum excernatur, clysteres euacuantes & abstergentes applicentur.

168. Deniq; symptomata, quæ hunc morbum sequuntur, præcipua sunt, vehemens dolor, vigiliæ, sitis inexplebilis, virium imbecillitas, alui fluxus, anhelitus difficultas, syncope &c. ex quibus si magnum periculum metuendum, de ijs corrigendis, vel submouendis Medicus sollicitus esse debet. Quibus autem modis ea corrigat & curet, practici docent, & varias medicamentorum formulas præscripserunt, quæ ab illis petantur & desumantur. Et hæc de curatione pleuritis nunc hoc loco & tempore dicta sufficiant.



DN. CHRISTOPHORO QVARTO,  
Medicinæ Doctorando, amico meo  
carissimo.

**T**e iterum in lacrumas, genus illacrumabile Parca,  
Mortaq; nocticolor fuluis villosa colubris  
Mulge oculos, diro rumpas thoraca ululatu  
Vnguibus inuadas fumantes sulphure vultus:  
Morticinos rictus & formidata mephiti  
Ora cruentatis exosses lurida pugnīs.

E 2

Namq;

Namq; ad auernales, orciuaq; lustra, paludes,  
Semitæ præclusa est, ut vix proscenia terra  
Sollicet furuus pede suspensio arbiter Orci.  
En *Q*UARTVM medicum, non re sed nomine quar-  
tum,

In primis medicum, qui tortæ repagula morti  
Fniecit, cuius panacean ni euomisset  
Ipse gener Cereris funus regale dedisset,  
Dedecus umbrarum & senti indelebile Auerni.  
Ille salutiferos in sanguen amabile succos  
Atq; facultates herbarum coxit, ut intus  
Artis Apollineæ vixdum semuncia desit.  
Hunc Paphiæ Charites, & Pimpleæ Venerilla  
Turba nouem silium, docto sparsere salillo.

Ioannes Frida, Med. Doct. eiusdemq;  
facultatis in Acad. Iul. pro-  
fessor ordinarius.

F I N I S.